

Nunc ubi conditi lususq; salusq; jociq;
Nunc ubi jucundus luxuriansq; lepos?
Nunc ubi Festa manet? Chorea? Convivia? Plausus?
Nunc ubi cum Cytharis Jubila laeta sonant?
Nunc ubi festivi mores, gestusq; decori?
Nunc ubi delicijs tota peracta dies?
Tristis hyems quando viridanti germine terram
Exiit, & sicco frigore cuncta gelat,
Discolor agrorum dispellitur orbe venustas,
Et rerum facies non nisi mœsta subit:
Sic ubi vitai numeras jam plurima lustra,
Et titubans corpus ruga senilis arat,
Omnia sunt inamœna; perit mellita voluptas:
Tunc abeunt quondam gaudia grata nimis:
Tunc vixisse diu te quavis pœnitet horâ:
Tunc etiam sordent, quæ placuere prius.
Qui poteras oculo quantum contendere Lynceus,
Ante pedes quæ sunt cernere Lippe nequis;
Immodicus flacca tinnitus cantat in aure:
Obstructas nares præterit acris odor.
Fercula non certo potis es dignoscere gustu:
Ah! miser est sensu deficiente SENEX.
Ventriculus potu moribundus nauseat haustu:
Reddis ab ore iterum, quem capis ore cibum.
Imò ipsam mentem quædam contagio vexat;
Et vis ingenij semisepulta cadit.
Bis pueri sunt quippe senes, & parvula tractant;
Delirat ratio si ratione caret.
Dicere plura licet multò; sed cuncta referre,
Non locus, aut votum, non sinit hora brevis.

Quin